

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Leere Seiten

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)



DILECTO FILIO RELIGIOSO VIRO LUDOVICO PAQUELIN  
SOLESMOS IN ABBATIA S. PETRI.

PIUS PP. IX.

*Dilecte Fili, Religiose Vir, salutem et Apostolicam Benedictionem. Redditi sunt Nobis a Dilecto Filio Nostro Johanne Baptista S. R. E. Cardinali Pitra libri S. Gertrudis, quos ad fidem codicum nunc primum ex integro exactos et editos, Nobis offerre voluisti. Gratissimum habuimus hoc munus, quod nomine sanctæ illius Virginis, et cælestibus donis, quibus Ipsa aucta fuit tantopere commendatur; ac debitis prosequimur laudibus pietatem, zelum et industriam, quam in hoc opere edendo, quod ad ædificationem Fidelium, et præsertim ad venerationem et amorem erga Cor sanctissimum Jesu Christi excitandum mirifice spectat, collocasti. Dum tibi, Dilecte Fili Religiose Vir, pro tuo erga Nos officio gratias agimus, optamus etiam, ut ex labore a Te pie suscepto salutare ac uberes fructus in omnes Christianæ pietatis cultores feliciter existant. Hoc a Divina Clementia adprecantes, Apostolicam Benedictionem in pignus dilectionis Nostræ, et in auspiciis cælestium gratiarum Tibi, ac omnibus tuis Religiosis Sodalibus, et præcipuum in modum Ei qui præsidet Congregationi vestræ, peramanter in Domino impertimus.*

*Datum Romæ apud S. Petrum die 16 Octobris an. 1875.  
Pontif. Nostri anno tricesimo.*

PIUS PP. IX.

SUFFRAGIUM DD. CONRADI MARTIN, EPISCOPI PADERBORNENSIS.

*Plurimum revedende Domine!*

*Pro magna benevolentia Tua transmisisti mihi in castellum et carcerem meum, in quo nunc detentus sum, opus Tuum tanto studio et amore concinnatum, mihi, patriæ magnarum prophetissarum antistiti, gratissimum. Accipe igitur, plurimum reverende ac dilecte Domine, gratissimi animi mei testificationem; accipe etiam de hoc opere tam egregie peracto, non solum Ordinis S. Benedicti, sed totius etiam Ecclesiæ honori haud dubie summopere profuturo, intimam meam gratulationem. Faustissima quæque Tibi adprecans subscribo. Tuus servus obsequiosissimus.*

† CONRADUS MARTIN,  
episcopus Paderbornensis, nunc captivus.

*Ex castello Wesel 23 julii 1875.*